

admodum diximus, quanquam fortasse vterque suam Philumenam, & suum scortum habuit.

C A P . X X V .

Taciani, qui & Encratitæ, vnde dicti. Erroris autem eorum hypotheses quatuor describuntur.

Aciani à Tacio¹ quodam instituti sunt, qui & Encratita² sunt appellati. Nuptias damnant,³ atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suorum numerum coniugio utentem, siue marem, siue fœminam. Non vescuntur carnis, easque omnes abominantur. Prolationes quasdā fabulosas seculorū etiā ipsi sapiunt. Saluti primi hominis contradicunt. Epiphanius Tacianos & Encratitas ita discernit, ut Encratitas Taciani schismaticos dicat.

I. *ATacio.*) Suspicio mendum esse in impressis, & pro Tacio reponendum Taciano. Nam constanter omnes authores Tacianum vocant, non Taciū, veluti Irenæus, Tertullianus, Clemens Strom. libro 3. Epiphanius ipse, quem in hoc toto opere sequitur κατὰ τὸν Augustinus, & ita Isidorus quoque suo seculo legebat apud Augustinum, cuius hoc scriptum in epitomen rededit libro 8. Ety. molog. nisi fortasse idem & Tacius & Tacianus ὑποκρίταις vulgo diceretur. Fuit autem hæc hæresis fœcundissima. Aquarios enim, Encratitas, Valerios, & Apostolicos peperit, sed tamen quæ nihil aliud est ipsa, nisi infelicissima multarum aliarum farrago & colluvies, &, ut scribit Irenæus libro 1. cap. 30. connexio quæ partim ex Valentianorū